Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uobis est illum datur sibi. det ille quantum est. qui et se ipsum dederit. ille dat. Nostis quid
agatis unusquisque in domo sua cum amico. cum inquilino. cum cliente suo. cum maio
re. cum minore. quomodo dat deus aditum. quomodo aperit ianuam uerbo suo. nolite quiesce
re lucrari christo. quia lucrati estis a christo. Dixerunt illi iudei. Quod signum osten
dis nobis. quia hec facis? Et dominus. Soluite templum hoc. et tribus diebus excitabo
illud. Dixerunt ergo iudei. Quadraginta et sex annis edificatum est templum hoc. et
tu dicis tribus diebus excitabo illud. Caro erant. carnalia sapiebant. ille
loquebatur spiritaliter. Quis autem posset intellegere de quo templo dicebat. Sed non multum
querimus. per euangelistam nobis aperuit. Dixit de quo templo diceret. Soluite templum hoc
et tribus diebus suscitabo illud. Quadraginta et sex annis edificatum est templum
hoc. et triduo suscitabis illud. Dicebat autem ait euangelista de templo cor
poris sui. et manifestum est occisum dominum post triduo resurrexisse. Hoc modo omnibus
nobis notum est. Et si iudeis clausum est quia foris stant. nobis tamen apertum est quia nouimus in
quem credimus. Ipsius templi solutionem et reedificationem anniuersaria sollempnitate
celebraturi sumus. ad quam uos hortamur ut preparetis uos si qui estis cathecumini. ut
accipiatis gratiam. Iam nunc tempus est. iam parturiatur quod tunc nascatur. Ergo illud nouimus.
Sed forte exigitur a nobis utrum habeat aliquod sacramentum quod quadraginta et sex annis edi
ficatum templum. Sunt quidem multa que hinc dici possint. sed quod breuiter dici potest
et facile intellegi. hoc interim dicam. Fratres. diximus iam ni fallor hesterno die
adam unum hominem fuisse. et ipsum esse totum genus humanum. Nam ita diximus si me
ministis. Quasi fractus est et sparsus colligitur. et quasi conflatur in unum societate atque con
cordia spiritali. et gemit pauper modo ipse adam. sed in christo renouatur. quia sine peccato
adam — uenit adam. ut peccatum solueret in carne sua. et ut redintegraret adam sibi ad
imaginem dei. adam. Ergo caro christi de adam. Ergo de adam templum quod destruxerunt
iudei. et resuscitauit dominus triduo. resuscitauit enim carnem suam. Uidete quia deus
erat equalis patri. Fratres mei dicit apostolus. Qui eum excitauit a mortuis. De quo dicit? De pa
tre. Factus inquit obediens usque ad mortem. mortem autem crucis. propter quod et deus eum exci
tauit a mortuis. et dedit ei nomen quod est super omne nomen. Resuscitatus et exaltatus est
dominus. Resuscitauit eum quis? Pater cui dicit in psalmis. Excita me. et reddam illis. Er
go pater eum resuscitauit. non se ipse? Quid autem pater facit sine uerbo? Quid facit pater sine unico
suo? Nam audi quia et ipse deus erat. Soluite templum hoc. et tribus diebus excitabo illud.
Numquid dixit soluite templum. quod triduo pater resuscitet? Sed quomodo cum pater resuscitat